



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. An bona Ecclesiarum, & Personarum Ecclesiasticarum sint immunia & exempta à sæcularibus oneribus, seu tributis merè realibus ordinariis, ac perperius?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

functionum spiritualium acquisita, & magis proprie Ecclesiastica dicuntur. Onera autem, de quibus hic queri potest, etiam sunt triplicia, quaedam dicuntur merè realia, quæ ipsis rebus, vel bonis quia talia sunt) sine respectu ad personæ qualitatem sunt imposita, jure perpetuo, & invariabiliter, ita ut tamdiu durent, quamdiu res ipsæ durant. Quaedam verò dicuntur merè personalia, quæ personis subditis, sine respectu ad bona patrimonialia, quæ fortassis nulla habent, imponuntur, prout etiam est capitatio- nis exactio. Quaedam denique mixta sunt, quæ imponuntur personis subditis, cum respectu tamen ad bona eorum, ita ut immediatè quidem personis imposita sint tributa talia, mediatè verò bonis, quæ habent. De his ergo sunt sequentes §. §.

§. I.

*An bona Ecclesiarum, & Personarum Ecclesiasticarum sint immunita & exempta à secularibus oneribus, seu tributis merè realibus ordinariis, ac perpetuis?*

**B**ona, quæ ad fundationem, aut dotationem Ecclesiæ pertinent, quòd sint ab omnibus oneribus Laicalibus merè realibus immunita, *exc. sancitum. i. de censibus* patet, si cum consensu dominorum, quibus ex antiquo bona talia tributalia fuerunt, in Ecclesiæ dotem v. g. translata sunt, cum in tali casu jus suum remittere censeantur hi tales; & absolutè in aliis etiam casibus, circa dotem v. g. talem, regula illa, quòd res cum onere suo transeat, ob speciales rationes, locum non habeat. Illa verò bona, quæ ad Ecclesiæ Titulis, sive causis,

vel ad Ecclesiasticos, ex Titulis civilibus v. g. pervenerunt, si antequam in Ecclesiæ, vel Ecclesiasticos translata fuerunt, onere aliquo merè reali, & perpetuo, ex vi proprie dicti dominij imposito, onerata fuerunt, manent ad tale onus perferendum obligata, etiam, postquam ad Ecclesiæ, vel Ecclesiasticos pervenerunt, cum in tali casu, nulla sit specialis exceptio, quare res cum suo onere non transeat; neque enim in favorem causæ piæ debet ordo justitiæ interverti, & alter privari jure suo. Si tamen sine onere reali prius imposito, bona ad Ecclesiæ, vel Ecclesiasticos, pervenerunt, non possunt, sub Ecclesiæ jurisdictione jam constituta, novo onere reali, à seculari Magistratu affici. *c. non minus 4. h. t. cum nulla amplius secularium talium, in rem hanc Ecclesiasticæ jurisdictioni jam subiectam, sit jurisdictio.* Quin etiam immunita sunt ab illis oneribus talia bona, ubi ad Ecclesiæ, vel Ecclesiasticos pervenerunt, quæ prius à Principe v. g. seculari, non quidem vi dominij proprie dicti, sed ex potestate jurisdictionis supremæ, lege ordinariâ, ac perpetuâ, fuerunt imposita, quia talia onera non sunt merè realia, sed imponuntur rebus cum respectu ad personas subiectas, quo modo seculari magistratui subiectæ non sunt Ecclesiæ, aut Ecclesiasticæ personæ: & consequenter juxta regulam receptam, cum personæ sint exemptæ, etiam res illarum, ac bona exempta erunt; & per mutationem personæ mutabitur etiam qualitas, seu conditio rei adhaerentis personæ.

§. II.